



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VIII. De collectione Canonum à Theodoreto digesta in quinquaginta titulos.
Genuina esse ostenditur, solutis difficultatibus quæ objici solent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

rum. Integra collectio constat è centum sexaginta quinque canonibus antiquissimæ collectionis Græcorum, deinde xxvii. canonibus Concilij Chalcedonensis, xxi. Sardicenis, & cxxxviii. Conciliorum Africanorum, præter quinquaginta apostolicos canones: quorum omnium summa redit ad cccxciv. canonum capita. Ceterum Dionysius, ut Collectioni suæ nihil deesset, Pontificum Romanorum Decreta, quæ ad disciplinam ecclesiasticam pertinebant, à Siricio usque ad Hormisdam, post canones subjunxit. Hæc secunda canonum interpretatio & collectio statim ab Ecclesia Romana obviis ulnis excepta est, ut testis est locupletissimus Cassiodorus, auctor illius seculi: *Ex Græcis exemplaribus*, inquit de Dionysio loquens, *canones ecclesiasticos moribus suis, ut erat planus atque disertus, magna eloquentiæ luce composuit. quod hodie usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur.* Canonum ex hac collectione petitorum auctoritate Contumeliosum Regensem Episcopum in Gallia ab episcopatus ordine suspendit Ioannes II. Pontifex Romanus anno dxxxiv. literis hac de re ad Cæsarium Arelatensem datis, quibus capita canonum adjunxit, scilicet capitulum vii. ex epistola Siricij, ex canonibus apostolicis capitulum xxv. & xxi. ex canonibus Antiochenis capitulum ix. & xv. quæ ad verbum è Dionysij interpretatione sunt expressa. Receptis à fede apostolica canonibus omnes Occidentis provinciæ ad dirimendas lites & judicia Clericorum exercenda statim usæ sunt.

Cassiod. c. 23. divin. lect.

Ioannis II. episc. ad Cæsar. Arelat. Tom. 1. Concil. Gall. ex antiquis exemplaribus edita.

Uide. fuyr. lib. 1. c. 1. §. 7. & lib. 7. cap. 8. §. 6.

VIII. Ceterum prætermittenda non est canonum collectio, quæ in quinquaginta titulos distributa, Theodoret Cyrensis Episcopi nomine extat in manuscripto codice Bibliothecæ Regiæ; præcipuè cum aliquoties ejus meminerimus in hoc opere, & nobis usui futura sit in iis quæ sequuntur. Eam collectionem Ioannes Scholasticus Patriarcha Constantinopolitanus, qui Iustiniani temporibus floruit, collatione legum, sed præsertim Novellarum Constitutionum ejusdem Principis, ad singulos titulos addita; ornavit. Vnde sequitur hanc collectionem Iustiniani tempus antecessisse, atque adeo temporis rationem iis suffragari qui Theodoret genuinum opus esse censent. Quam ille ad usum privatum studiosorum concinnavit, ut in numerato haberent canones omnes qui ad unum negotij genus referuntur, quorum sententiam & numerum tantum adnotavit. In judiciis autem, ubi solida & integræ leges, non verò synopses legum vel canonum proferebantur,

collectioni isti nullus erat locus. Quidam eruditi viri eam à Theodoro abjudicant, tribus potissimum de causis; tum ob canones apostolicos, quos laudat numero cxxxv. (qua de re abundè diximus capite superiori) tum ob canonem xxviii. Chalcedonensis Concilij, quem expungit, licet collectio Græcorum eum agnoscat. Quod quidem verum est, si de collectione Photij & Zonaræ agatur. Sed antiqua Collectio Græca, quam Dionysius Latinè reddidit, viginti septem canones solum recenset, omisso xxviii. quemadmodum & Theodorus Anagnostes libro primo collectione Græcorum. Tertia causa dubitandi petitur è canonibus Sardicenis, quos Græci non admiserunt in vetere collectione. Quod sanè certum est. At tamen aperta est ratio cur Theodoretus eos in collectionem suam conjecerit; nempe, quòd sede sua à Dioscoro Alexandrino in synodo Ephesina secunda depulsus, eorum canonum beneficio usum sedem apostolicam appellavit; & à Leone in communionem receptus, episcopaliq; dignitati restitutus, Imperatoris decreto, & synodi Chalcedonensis irretactabili judicio, (ut cum Leone loquar) locum suum obtinuit. Quare nihil aliud à Theodoro expectandum erat, quàm ut canonibus Sardicenis recensendis benignum se præstaret. Quod effecit ut tandem Græci in synodo Trullana Sardicenses canones susceperint, eoque collectionis antiquæ adjunxerint. Merito itaque Photium Nicolaus malæ fidei arguit quòd ignotos Græcis hos canones esse simularet; cum & in codice canonum, & in collectione quinquaginta titularum publicè apud illos legerentur. Qua de re dixi libri II. c. xv. §. ix. Hanc autem collectionem seu Nomocanonem in quinquaginta titulos digestum, quo legum & canonum collatio quædam continetur, nullo ferè loco habitum temporibus suis testatur Balsamo, eò quòd Photij Collectio uberior & utilior omnino visa esset.

Theod. Anag. s. c. c. xviii. s. vii.

Tom.

Cap.

Balsamo in sup. p. 111.

CAPUT IV.

Synopsis.

I. Galli Collectione antiqua à Concilio Chalcedonensi probata usi sunt, ex Conciliis Agathensi, Aurelianensi, Epaonensi, & Casario Arelatensi.

II. Probabile videtur anplexos deinde interpretationem Dionysij, ex Concilio Aurelianensi.

III. Liber canonum dicitur à Gregorio Turonensi, ex quo patet canones apostolicos olim à Gallis receptos non fuisse. Corruptus canon xxv. in causâ Prætextati. Nondum admissi erant in censum canonum temporibus Hincmari. Dubie auctoritatis dicuntur